

gationes partis contrariae, quod ad rationis et philosophiae iudicium et principia velint examinare mysteria Dei, propter aliquot absurdia physica irritum pronunciare hoc, quod locutus est Christus, praedicere Deo omnipotentiam et disputare cum ipso de impossibilitate illius, quod verbo suo sancuit. Praeterea adiiciunt nonnulli, cum secreta coelorum et natura corporis glorificati homini ignota sint, cur non mallemus, aiunt, Christo credere, quam ab eius perspicuis verbis ad nouas interpretationes delabi? Haec quidem tam plausibiliter et tanto cum spiritu ab istis oratoribus, qui vel facundia vel loquentia pollent et plaerunque tribunitij etiam sunt, ad populum dicuntur et pinguntur, ut theatrum ipsorum non secus ac romanum concionante Antonio consule et petente vindictam propter necem Iulij quasi aetu indignationis commoueatur et ferueat. Atque ita nullae amplius aures illis, qui rei peraguntur, reseruatae patent, sed ij simpliciter iudicantur esse ἀλάστορες, καθάρματα, pestes ecclesiae, blasphemi in Deum, deteriores ethnicis et Iudeis.

Sed pergamus, vbi proceditur vterius, quidam seu imperitiores seu paulo quietiores dicunt, sese fugere omnes quaestiones, nec de vlo modo praesentiae sollicitos esse, sed simpliciter inhaerere se verbis. Hi siquidem, si cum Deo, secus quam enthusiastae faciunt, litigare nolunt et quaerere, quomodo cum istis rebus visibilibus tanta bona donare Deus possit homini, recte faciunt. Sin autem etiam non quaerendum arbitrantur de vera praesentia in homine, id est quid ista sumptione efficiatur in homine et [52:] interea haerent in cogitatione de vnione pontifica, perniciose errant. Necessa est enim nos de Christo et beneficiis eius ex verbo patefacto cognoscere et scire, quomodo in hac vita conuertamur et inseramur ecclesiae per verbum et sacramenta, nec assuere commenta aliqua falsa et aliena a mente Christi. Verum cordatiores et magis biliosi e vestigio signum atrocis praelij proponunt. „Propositio“, inquiunt, „panis est verum substantiale esse corpus Christi“ vera, recta et pia est.“ Etsi hoc quaeritur, dicimus esse praedicationem inusitatam, non quidem talem, quae significet vnionem hypostaticam, sed sacramentalem.

„Synecdochen“, inquiunt, „possumus admittere, vt extet testimonium contra transubstantiationem, sed tamen sciendum est primo et per se propositionem hanc sine tropo intelligendam. Metonymia vero inepta est. Neque enim panis est signum absentis corporis.“ Hunc suum intellectum muniunt deinde et fulciunt multis argumentis, ex quibus non praecipua deligemus:

I. Citatur regula communis: „Circumstantia scripturae illuminat dicta.“ „Ego sum vitis“ propositio figurata est, quia subiicitur „vos palmites“.¹⁶³ Hic dicitur: „quod pro vobis traditum est.“¹⁶⁴ Tale igitur ducitur argumentum: Hoc corpus praesens est, quod pro nobis traditum est in mortem. Pro nobis traditum est corpus verum et substantiale. Ergo praesens est corpus verum. II. In dictis scripturae, praesertim in articulis fidei, nunquam est accersenda allego-

¹⁶³ Joh 15,5.¹⁶⁴ Lk 22,19; I Kor 11,24.